

debeant infra dictum terminum, sub pena in statuto contenta.
¶ Preterea si qua persona forensis veniret Tergestum cum aliquibus bonis alicuius persone, et querella ad dominium pervenerit per personam debentem habere, et ius peteret fieri
5 contra dictum, dominus potestas incontinenti facta querela, // 200 B
dummodo facta fuerit fides dominio de petitione facta contra talem, facere intromittere [debeat] bona omnia illius talis persone forensis que Tergestum venit. ¶ Salvo quod, si faceret securitatem de parendo iuri et iudicatum solvendo, tunc in-
10 tromitti eius bona vel capi ipsa non possit. ¶ Et si aliquis forensis vel habitator Tergesti, qui non possiderit bona immobilia in civitate vel districtu Tergesti, esset alicui persone obligatus¹⁾ in aliqua quantitate pecunie, hoc primo apparente de tali obligatione legitime, talis obligatus non possidens bona,
15 ut dictum est, per dominium Tergesti debeat detineri in basta comunis usque ad solutionem debiti. ¶ Salvo si talis persona obligata prestaret securitatem dominio de²⁾ iudicio sisti et iudicatum solvendo, tunc detineri non debeat. ¶ Et nulla persona citata possit constringi ad dandum aliquam securitatem
20 de iudicio sisti et iudicatum solvendo actori petenti sive dominio, nisi primo ipse actor fecerit fidem dominio per publica instrumenta de obligatione dicte persone citate. ¶ Insuper si aliquis forensis in iudicio Tergesti fatiat aliquam questionem alicui habitatori Tergesti pro obligatione vel fideiussione ali-
25 qua facta alicui per ipsum, si habitatrix petierit a forense securitatem, si de questione sibi mota evaderet in iure, quod esset liberatus ab ipsa questione ab alia quacunque persona cui pro ipso forense fideiusserit vel se obligasset, tunc talis forensis ipsam securitatem prestare³⁾ debeat, et habitator ali-
30 ter respondere non teneatur // eidem.

201 A

¹⁾ obligata.²⁾ Aggiunta marginale.³⁾ prestari.